

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 223

Inclito triumphatori et magnifico domino suo Conrado Dei gratia Romanorum imperatori augusto, frater Wibaldusb eadem gratia id quod est in aecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Scripsit dudum majestati vestrae nostre parvitatis humilitas, quod ad peragendam legationem vestram ad Urbem non sine gravi rerum nostrarum dispendio accincti fuimus, et si dominus cancellarius proficisci potuisset, ad incrementum honoris vestri et regni pro posse laborassemus. Unde regressi, terram nostram nimiis rapinis et incendiis concussam invenimus. Nam dominus Leodicensis episcopus et [comes] Namucensis et comes de Rupe et comes Godefridus de Acuto Monte dissentientes, bonum pacis de finibus nostris exturbaverant. Cum autem neminem nostri neque nos lederemus, et in neutram partem inclinaremur, cum jam in Namucensem et suos fautores dominus episcopus sententiam anathematis promulgasset, comes Godefridus de Monte Acuto sua et domni episcopi militia villam nostram Okeriis devastavit et succedit, quae fere tribus mensibus monasterio necessaria ministrabat. Intendit etiam cetera eidem monasterio pertinentia devastare, succendere, nisi gravissimis redemptionibus et exactionibus ab hoc suo proposito revocetur. Et cum violenter nostra devastentur, diripientur, et hoc auxilio domni episcopi, sine quo idem comes Godefridus hoc non presumeret, decet regiam majestatem vestram, nos, qui vestri sumus, defensare, et innocenter afflictis manum misericordiae porrigerem. Proinde dignitatis vestrae magnitudinem, quam semper propiciam sensimus, humiliter depositimus, ut si dominus episcopus ad vestrae majestatis presentiam venerit, de nostra a suis et nostrorum injusta oppressione, sicut vos decet, eum conveniatis, et nostra, quae adhuc non tamen a suis intacta supersunt, quae idem Godefridus ejus auxilio demoliri festinat, accepta ab eo dextra, sicut sunt, conservari faciatis. Si autem eum non venire contigerit, super hoc ei severius scribendo vestra precipiat mansuetudo, et ut eundem Godefridum comitem a nostrorum depopulatione tam per vestra scripta quam sua auctoritate coherceat, imperetis. Nos enim in eo discrimine positos addiderunt Corbeienses revocare. Inter quos quas molestias, quas insidias sustineamus, quid vero contra nos eo tempore, quo in servitio regni et vestro accincti eramus, molitus sit, quidve factum, cum ad vos venerimus, majestati vestrae plenius referemus. Deliberavimus autem, si quolibet modo his curis et laboribus nos subducere possumus, ut in Purificatione sanctae Mariae ad vos, ubicumque locorum vos esse scierimus, perveniamus.